

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843, enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0344

0342

0348

0338

0353

0333

0393

0293

0443

0243

0843

331

ductores nostri stupebant. Vix enim homo credere posset, quod XX homines tanta suppellectili per desertum essent indigi. Oportet enim provisionem habere magnam, ut non patiantur defectum per LXII dies, et ut occurrentibus Madianitis et Arabibus in deserto habeant dare panes et paximatos, carnes fumigatas et caseum, quibus furor eorum mitigetur et ut pax sic ab eis ematur. Omnibus ergo rebus nostris eportatis adduxerunt camelarii camelos ad cumulum, et unum post alium in terram prosternentes onerare bestias inceperunt; nos vero eis adstetimus et diligenter manus eorum aspeximus, ne quid furarentur nobis, et ut addisceremus etiam onerare bestias et camelos tractare. Oneratis autem XXII camelis cum multis laboribus et litigiis vocati fuimus per asinarios ad gregem asinorum, ut quilibet eligeret sibi asinum, quo per totum desertum uteretur usque in Aegyptum; convenerant autem asinarii inter se pro eorum pace, ut nullus suaderet peregrino eligere hunc vel illum asinum, nec diceret bestiae defectum vel bonitatem, sed in libertate nos dimitterent, ut, qui male elegisset, non haberet materiam litigandi et inculpandi aliquem, nec accipere posset rationem minus solvendi, quam ille, qui cum bona bestia fuerat provisos, et in fine, qui optimam bestiam elegisset, solveret pro sociis curtesias vel cibales; ipsi enim asinarii sciebant, qui asini erant vel boni vel mali, aequaliter tamen erant strati omnes. Discurrebant ergo domini mei milites inter asinos et nunc illum nunc istum tentabant et inter se disceptabant et quamquam duo vel tres peregrini ad unum asinum pendebant. Quod ego cernens, ne aliquem offenderem, mea electione recessi de grege et ascendi per gradus lapideos usque ad ostium ecclesiae Syon et in limine sessum accepi, et deorsum in asinorum gregem respexi eligentes, quos consideravi, et in me ipso deliberavi, quam bestiam eligere vellem. Vidi autem inter asinos unum magnum et album, cui aures dependebant, et caput grave videbatur habere et speciem pigrae bestiae praeferebat, nec aliquis de peregrinis eum tangere volebat. Et ad illam bestiam me limitavi, non quod aliquid boni noscerem in ea, sed solum ut dominis nobilibus jucunditatem facerem in eo, quod elegi bestiam ab omnibus spretam. Cumque nobiles omnes cum multa sollicitudine

Ende

Anfang